


Treib  
Schediasma  
juridicum

1702.





**SCHEDIASMA JURIDICUM,**

In quo de hoc Themate differitur:

Jus Civile computat gradus in Lineâ collateralí  
etiam eo modo qvô Jus Canonicum;

*Quodque*

**PERILLUSTRI DOMINO  
DOMINO  
JO. FRIDERICO  
BACHOVIO,**

BARONI AB ECHT, IN ROMSCHVTZ ET DOBI-  
TZSCHEN, SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIA-  
RIO IMPERIALI AULICO, IN AULA SAXO-GO-  
THANA SANCTIORUM CONSILIORVM  
DIRECTORI DOMINO DEMISSE  
COLENDΟ

**JOH. PHILIPPO** *Reiber / Philos. &*  
J. U. D. Facult. Philos. Jenens. Adjuncto, & P. L. C.

*JENÆ, apud Joh. Jacobum Chrt.*

*M. DCCII,*

*V3.*

*He 4382*



# ADLECTOREM.



x iis Veritatibus, quas hactenus indaga-  
tas stitimus, jam quoque proficit Juridica se-  
quens: *Jus Cruale computat gradus in linea collate-  
rali etiam eo modo, quo Jus Canonicum. Qvam  
ipsam in præsenti Schediasmate eā, qvā com-  
venit, modestiā, expendere decrevimus:*

1. *Positivē*

1. *Per Probationes, que desumstærunt*

1. *Ex Systematibus Iuris antiquioris, ex quicdem ex Systematis*

(1. *Elementari, Institutionibus*

(2. *Acroamatico, Pandectis*

2. *Ex Jure Novellarum, Novellā sc. 118.*

2. *Per Consecutaria, que erunt haec?*

1. *Quod in computatione civilis etiam locum habere possit diffin-  
tio linea collateralis in aequalem & inaequalē.*

2. *Quod in computatione civilis etiam ut possimus Regulis, quas  
Jus Canonicum prescrbit computaturis grauas in linea collat-  
rali aequalē & inaequalē.*

II. *Polemice per eversiones objectionum, desumstaretur*

(1. *Ex Jure Cruale*

(2. *Ex Jure Canonisco.*

## Caput Primum.

Exhibens positivān Thematis nostri tractationem.

See



Expendens Thesin nostram principalem per probati-  
ones.

## Thes. I.

**F**irmitudo primarii nostri Lemmatis paratur [ N ]  
 Ex Institutis, et quidem I. ) Ex §. 7. Instit. de Capit. dimin. ubi  
 Imperator talia docet: *Cum autem ad agnatos tutela pertineat, non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantum, qui proximiore gradu sunt, vel, si plures ejusdem gradus sint, ad omnes pertinet, veluti, si plures fratres sint, qui unum gradum obtinent, pariter ad tutelam vocantur.* II. ) Ex §. 3. Instit. de legit. agnat. successi. ubi dicitur: *Quare etenim uno eodemque gradu naturali concurrente, et agnationis titulis tam in masculis, quam fœminis æqvâ lance constitutis etc.* III. ) Ex §. 5. Instit. de leg. agn. successi. ubi Imperator ait: *Si plures sunt gradus agnatorum, aperiè Lex duodecim tabularum proximum vocat. Itaque si (verbi gratia) sint defuncti frater & alterius fratri filius aut-patrius, frater potior habetur. Et quamvis singulari numero usa Lex duodecim Tabularum proximum vocet, tamen dubium non est, quin, si plures sint ejusdem gradus, omnes admittantur. Nam & propriè proximus es pluribus gradibus intelligitur, & tamen non dubium est, quin, licet unus sit gradus agnatorum, pertineat ad eos hereditas.* IV. ) Ex Principio Institut. de assignat. Libert. in quo ita disseritur: *In Summa, quod bona libertorum at-  
vines, admonendis sumus censuisse Senatum, ut, quamvis ad omnes pa-  
tronii liberos, qui ejusdem gradus sunt, æqualiter bona libertorum  
pertineant, etc.*

**S**Ex his Institutionum locis cognoscitur, quod Jus Ci-  
 vile in linea collaterali interdum etiam plures personas gene-  
 ratas, nimirum plures collaterales & fratres, unius et ejusdem  
 gradus esse, itemque plures masculos & fœminas (uti sunt  
 fratres & sorores) æqvâ lance constitutos esse reputet, quod-

que

que ita idem Jus Civile in linea collaterali non semper plures gradus numeret, positis pluribus personis generatis. Plures enim fratres, & sorores, qui in his §§, unum gradum obtinere dicuntur, sunt plures personæ generatæ, suntque etiam collaterales. Cum autem Jus Canonicum in linea collaterali gradus æqvæ non computet eo modo, ut tot gradus numeret, in illâ, quod generationes sunt, ipsumque speciatim æqvæ plures fratres et sorores in unum gradum computet, indubitanter promanat, quod Jus Civile in his §§. in linea collaterali eodem modo gradus computet, quo Jus Canonicum.

## Th. II.

Multū roboris assertioni nostrâ principali (2) accrescit per Leges Pandectarum, videlicet I.) per l. 1. §. 2. ff. de grad. & affin. ubi talia legere licet: Sed admonentili sumus, si quando de hereditate vel bonorum possessione queramus, non semper eos, qui ejusdem gradus sunt, concurrere. II.) per legis 10. § plurim 12. ff. eod. qui sequentia continet: Primo gradu cognationis sunt sursum versus duo, pater et mater, deorsum versus duo, sius & filia, qui iam men & plures esse posunt.

§. Ex his Pandectarum II. iterum luculenter patet i.) quod Jus Civile, plures personas unius gradus esse posse, doceat, & in specie duas personas generatas atque collaterales, filium & filiam, imo, & plures in eundem gradum collocet, quod quies sic 2.) Jus Civile non semper numeret personas ad latus positas, & peculiariter filios & filias, quisunt fratres & sorores, non semper ut collaterales & ut generatas personas ad latus positas computet, sed interdum, etiam ut descendentes ab eadem stirpe, atque ut æquahiter in primo gradu, distantes ab eo. Non autem aliter procedit & Jus Canonicum. Hoc enim 2.) etiam plures personas collaterales, & speciatim plures filios & filias in unum gradum computat, eosque 2.) non numerat

merat ut personas generatas ad latus positas. (Illiud enim non numerat personas ad latus positas) sed ut descendentes ab eodem stipite, atque, ut æquvaliter in primo gradu distantes ab eo. Quid igitur ex modo dictis aliud conseqvitur, quam, quod Jus Civile in II. ff. allegatis gradus in linea collat. etiam eo modo computet, quo Jus Canonicum.

## Thes. III.

Tandem (1) elucescit Rubricæ nostræ veritas etiam ex Jure Novellarum, et quidem I.) ex Novellæ 118. Capite III tio in fine, ubi dicitur: *Si vero neque fratres, neque filios fratrum (sicut diximus) defunctus reliquerit: omnes deinceps à latere cognatos ad hæreditatem vocamus, secundum unius cuiusque gradus prærogativam: ut viciniiores gradu ipsi religiosis preponantur. Si autem plurimi ejusdem gradus inveniantur, secundum personarum numerum inter eos hæritas dividatur; quod in capitulo nostra leges appellant.* II.) Ex ejusdem Novellæ Vto (quod de legitima è latere cognitorum tutelâ agit) Capite in fine, ubi talia verba exhibentur: *Si autem plurimi eundem cognitionis gradum habentes ad tutelam vocantur, jubemus etc.*

S. Horum allegatorum prius ostendit, quomodo, fratribus, & fratrum filiis deficientibus, inter plures collaterales, (v. g. fratrum nepotes aut pronepotes) qui ejusdem gradus sunt, hæritas dividatur? Posterior ostendit: quod plurimi collaterales ad tutelam legitimam vocantur, si eundem gradum obtineant. Non autem aliam, uti plures diximus, in computandis his personis, methodum observat Jus Canonicum. Itaque nec hæc loca Novellæ 118, aliud ostendunt, quam quod in iis Jus Civile gradus in linea collaterali eodem computet modo, quo Jus Canonicum.

## SECTIO II.

In qua Porismata Thematîs nostri ponderantur.

A 3

Th.

## Th. I.

Stabilità jam nostrà propositione principe, immediate eam; ejusque fundamenta consequantur propositiones aliae, quorum prior est seqvens: *In computatione civili etiam locum habere potest distinctione linea collateralis in æqualem & inæqualem.*

§. Eqvidem alias linea collateralis Jure tantum Canonico divisa dicitur in lineam æqualem & inæqualem, cum divisio hæc in Jure Civili expressa non inveniatur. Qyoniam tamen Jus Civile i.) v.g. plures fratres, adeoqve plures collaterales unum gradum obtinere posse concedit, (supra alleg. §. 7. Inst. de cap. dimin. & ceteris locc. ex Jure Civ. supra cit.) qvòd est; *Plures in linea collateralis æqualiter distare posse à stipite, &c.* ) §. 3. Inst. de legit. agnat. successi. hæc verba repræsentet: *Et agnationis titulis tam in masculis quam feminis æqua lance consimilis etc. profecto ex his argumentari possumus ad lineam collateralem æqualem, & ab hæc facile ad inæqualem.* Etenim, qui concedit æqualem, statuit & inæqualem, cui æquale opponit. Nam agnationis tituli aqua lance consimilis iis, qui in linea collaterali æquali sibi sangvine propinqvi sunt, commode attribui possunt. Collaterales enim etiam sunt agnati, & aqua lance consimilis sunt æquiter distantes à persona, de qua qværitur, aut à stipite. Et sic collaterales qualiter à stipite distantes sunt ii, qui in linea collaterali æquali positi sunt. Qvare, licet divisio linea collateralis in æqualem & inæqualem expresse non doceatur in Jure Civili, tamen, qvia ea exinde argumento legum probari potest, nobis saltim eatenus assentiendum est, qvatenus asserimus: *In computatione Civili locum habere posse distinctionem linea collateralis in æqualem & inæqualem.*

## Th. II.

Deductionem prioris nostri porismatis excipere debet illatio consequentii posterioris & insequentis: *In computatione Civili etiam uti possumus Regulis, quæ Jus Canonicum præscribit computarum gradus in linea collaterali æquale ac inæquale.*

§.

J. Regula secundum quam de Jure Canonico computantur gradus in linea collaterali æquali, est hæc: Quotogradu alterura persona, de cuius cognatione queritur, distat à communis stipite, eo gradus illæ personæ distant inter se. Et Regula, secundum quam de eodem jure gradus in linea inæquali computantur, est sequens: Quotogradu remotor (ex iis, quarum conjunctio investigatur) distat à communis stipite, toto distantia inter se. C. 9. X. de Conf. & Affin. C. XX XV. q. 5.

S. 2. Jam, quia Jus Civile [I] in §. 7. Inst. de Capit. diminut. & aliis supra citatt. locc. plures fratres unum gradum obtinere posse statuit, certè non aliam ob causam id concedit Jus Civile, quam eam: quod quisque fratum æqualiter distet à patre; Nullus autem plurium illorum fratum, qui unum gradum obtinent secundo gradu distat à patre; alias enim illi non obtinerent unum gradum. Nam, si fratres, obtinentes unum gradum, à stipite distarent secundo gradu, certè in hoc gradu investigando aut ( ) ab uno fratum ascendendum eset ad stipitem, et ab hoc ad reliquos fratres descendendum, & ita ille, a quo ascenderetur ad stipitem, primo gradu à stipite distaret, reliqui autem secundo; adeoque non eundem gradum cum reliquis fratribus obtineret; aut ( ) à stipite descendendum ad unum fratrem, et ab hoc ad reliquos, & ita illle, ad quem à stipite descendetur, primum, reliqui autem secundum gradum obtinerent, adeoque non eundem cum reliquis fratribus. Cum itaque unusquisque illorum fratum, qui unum gradum obtinent, à stipite non distent secundo, sed primo gradu (veluti id etiam expresse docet d. I. o. S. 12. ubi plures filii & filia, qui certè sunt plures fratres & sorores, in primo gradu distare à stipite dicuntur) certè, quoto gradu illi fratres unum gradum obtinentes distant à communis stipite, toto gradu etiam illi, considerati ut æqualiter & uno gradu distantes à stipite, distant inter se, propterea quae uti possumus in hac computatione Civili etiam illa Juris Canonici Regula; Quoto  
gradu

gradu aliqua persona ex iis, de quorum cognatione queritur, distat à  
communi stiptite, eo gradu inter se distant.

S. 3. II.) Qvia supra ex Nov. 118. Cap. III. unum gradum obtinere posse dicuntur plures illi collaterales, qui deficien-  
tibus fratribus & fratrum filiis ad hæreditatem vocantur, suntq  
fratrum nepotes & pronepotes; profecto hi ipsi ab eo, de  
cujus hæreditate qværitur, distabunt in linea collaterali æqua-  
li in tertio & quarto gradu à stiptite; quandoqvidem enim hi  
fratrum nepotes unius gradus (nepotes) esse dicuntur, et  
iam fratrum filii & fratres ita computandis sunt, ut plures eorum  
unum gradum confiant. (Alias enim confusa numeratio gra-  
duum oriretur, si plures alii in unum gradum computentur,  
plures autem alii tot gradus confidere asserantur, quot perso-  
narum illarum sunt.) Et propterea fratres ejus, de cuius hæ-  
reditate qværitur, in primo gradu, horum filii in secundo, eo-  
rum autem nepotes in tertio, pronepotes in quarto gradu ab eo  
distabunt de jure Civili, & ita non aliter quam uti de Jure Ca-  
nonico. Ergo etiam in hoc casu, videlicet in gradibus ulteri-  
oribus lineæ collateralis æqualis uti possumus regulâ illâ, quâ  
Jus Canonicum utitur in computandis gradibus istius lineæ.

S. 4. III.) Siqvidem in eodem contextu pluries allegati s. 7.  
Inst. de cap. dimin. ubi plures fratres unum gradum obtinere  
dictum est, mentio sit gradus proximioris; & porro, quando-  
qvidem in eodem contextu capituli III. ex Nov. 118. in quo;  
si plurimi collaterales ejusdem gradus inveniantur, dictum est, ex-  
primuntur qvædam de viciniis gradu, quod scilicet hi reli-  
quias præponantur, certe exinde concludimus I.) quod Jus Civi-  
le viciniores & proximiores gradu relativè opponat remoti-  
oribus, qvos illud indigit in verbo; reliquis. Vicinior enim  
gradu & remotior sunt relata & simul, ut igitur ibi, ubi in ju-  
re Civili statuantur viciniores gradu, necesse sit, etiam remo-  
tiores statuantur. Non enim cogitare possum vicinorem gra-  
du,

du, nisi simul cogitem aliquem, quo hic vicinior gradu est. Et talis est: remotior gradu. II.) Qvod de Jure Civili in linea collaterali inæquali etiam plures viciniores aut plures remotiores unum gradum obtinere possint, & sic in computatione vicinorum, ac remotiorum gradu, in linea collaterali, non semper personæ & generationes, sed interdum etiam distantia à stipite, per consequens eodem etiam modo gradus in linea collaterali inæquali numerentur, quo eos Jus Canonicum computat; qvodque ita III.) nil incongrui admittamus, si etiam in civili computatione collateralium, viciniorum & remotiorum adhibeamus regulam, quam adhibet Jus Canonicum in computandis collateralibus inæqualiter distantibus, seu in linea collaterali inæquali.

§. 5. Cæterum ex sapientiis allegatis locis juris Civilis quæ de materia tutelarum & successionum agunt, & plures collaterales unum gradum obtinere posse docent, luculenter etiam cognovimus, qvod n<sup>o</sup>τ' εξοχ<sup>η</sup> sic dicta computatio civilis, videlicet numeratio generationum, non semper locum habeat in tutelis & successionibus, sed interdum etiam in harum materialium causis tantum numeratio distantiarum à stipite instituatur.

## CAPUT II.

### Thesin principem polemicè discutiens.

#### Th. I.

Primaria nostrapropositio demonstrata & illustrata haec tenus est per probationes & coniectaria; jam avertenda sunt ea, quæ ipsam impugnant. In ordinandis autem antithesis ratione habebimus ordinis thesium in prius caput collocatarum. Et quidem Primò omninati sumus objectionem, quæ ferire videtur Thesis I. II. & III. cap. I. Sect. I. in quibus, plures collaterales de Jure Civili etiam unum gradum obtinere, contenduntur. Illaque objectio est talis: *Plures collaterales sunt plures persone generate, cum autem plures persone generate plures gradus conficiant; semper enim persona generata gradum adjicit, per §. 7. Inst. de Grad. cognat. & legem 10. S. 10. ff. de Gradib. & affin. ubi extat: Ut à proximo in proximum, i. e. in eum, qui quasi ex eo nascitur, transe-*

amus. Addel. fin. §. nam quoties q. in fin. ff. de grad. & affin. ibi: Similiter enim accedentibus singulis, crescit numerus. Ideoque, pluribus collateralibus positis, coniuntur plures gradus. Ergo illi non possunt in unum computari gradum de Jure Civili, veluti possunt de Canonico.

§. 1. Hæc objectio removetur, si distingyamus aut I.) inter gradum naturalem & civilem, aut II.) inter numerationem generationum, & numerationem distantiarum à stipite, aut III.) inter gradum sumtum pro transitu de personâ in personam, & gradum pro distantia à stipite sumtum; aut IV.) inter gradum sumtum pro distantia personarum à stipite & inter gradum, sumtum pro distantia personarum ab invicem ratione numeri generationum; aut V.) inter computationem graduum, quâ plures personæ collaterales, computantur ut collaterales seu, ut ex transverso positæ, atque computationem graduum, quâ plures personæ collaterales computantur non ut collaterales, sed ut ab uno stipite æquvaliter vel inæquvaliter descendentes.

§. 2. Prima distinctio fundamentum suum nacta est in supra adducto §. 3. Inst. delegitim. agn. successi. ubi dicitur: Quare etenim uno eodemque gradu naturali concurrent etc. ubi per gradum naturalem Imperator intelligit intervallum, quo quis à stipite, sibi sangvine (naturaliter) juncto distat. Nos autem, ab usu termini gradus naturalis, tanquam alterius membris nostris distincti, ad valorem termini gradus civilis, tanquam oppositi membris, argumentantes per gradum civilem intelligimus transitum de personam in personam, arg. l. 10. §. 10. ff. de grad. & affin.

§. 3. Secunda distinctio vult hoc, quod alia computatio graduum sit, si tot numerem gradus, quot sunt personæ generatae, alia computatio, si de pluribus personis dispiciam, quanto intervallu à stipite distent? in hac enim computatione plures personas æqualem à stipite distantiam habentes in unum gradum conjicere possum.

§. 4. Tertiam distinctionem suggesit nobis Pomereschius ad §. 1. Inst. de Nupt. n. 37. ita commentans: Gradus est de proximo

*mo in proximum transitus, l. 10 §. 1. d. grad. (38. 10) seu' puta, si gradum pro distantia à stipite sumamus ) intervalum, quo c gnosciur, quæ persona propior sit stipiti. Cum hanc definitione coincidit definitio gradus naturalis, quam supra §. 4. proposuimus.*

§. 5. Quartæ distinctionis membrum prius jar. explicatum dedimus, posterius respondet usitatæ pasim definitioni gradus, qua is dicitur distantia unius personæ ab aliâ, per generationem facta. *Vid. Dn. Mencken in Additam. ad Struv. Ipr. Lib. I. T. V. Aph. II. & J. Sam. Stryck. in Fundament. Jur. Justin. Lib. I. Tit. X. §. 1. n. 3.*

§. 6. Quinta distinctione hunc habet sensum: Alia computatio graduum est, si in arbore consanguinitatis latera & personas ex transverso positas connumeremus, alia computatio graduum est, si citra respectum numeri collateralium, tantum intervalla numeremus, quibus collaterales ab eodem stipite descendentes, ab hoc ipso distant, veluti hoc factum est in l. 10. §. 12. ff. de gradis affin.

§. 7. Propositam & explicatam distinctionem nostram quin triplicem, jam etiam ad objectionem in Thesi propositam applicabimus, & quidem seqventiatione: Sensus hujus periodi: *Semper persona generata adjicit gradum, est aut I.) hic: Semper persona generata gradum adjicit civilem, aut II.) talis: Semper generata persona gradum adjicit, si numerem generationes; aut III.) sequens: Semper generata persona gradum adjicit, si gradum sumam pro transitu de personâ in personam; aut IV.) iste: Semper persona generata adjicit gradum, si gradum sumam pro distantia personarum ab invicem ratione numeri generationum; aut V.) hujusmodi: Semper persona generata in linea collateraliter gradum adjicit, si plures personæ collaterales computentur ut persone ex transverso posita.*

§. 8. Sensus autem objectionis I.) non est hic: *Semper persona generata gradum adjicit naturalem; nam plures personæ generatae, à equali intervallu distantes à stipite, non nisi unum gradum naturalem obtinent, per §. 3. Inß. de legit. agnitorum succ. Nec II.) sensus ejus est talis: Semper persona generata gradum adjicit, si numerem di-*

**stantias à stipite.** Nam plures personæ generatae collaterales possunt unam & eandem distantiam à stipite obtinere. Ideoqve non semper persona generata , inter eas gradum adjicit. III.) Ob eandem rationem distinctio tertia & quartanō patitur sensum regulæ seq ventem : *Semper persona generata gradum pro distantia à stipite sumum adjicit.* IV.) Nec sensus ejus est hujusmodi: *Semper persona generata adjicit gradum, si plures personas collaterales non ut collaterales computem, sed ut ab uno stipite equaliter vel inequaliter distantes descendentes.* Non , inquam, sensus ejus est iste. Nam in sape citata. 10 §. 12. sunt plures personæ collaterales tanquam descendentes à stipite æqualiter distantes in unum gradum computatae. Ideoqve tunc non unaqvaçque persona generata adjicit gradum, si plures personas collaterales computem ut descendentes ab uno stipite æqualiter distantes.

§. 9. Largissimè circa hanc interpretationem nobiscum consentiunt: Carpzovius in Arbore Consangvinitat. Disp. I. cap. I. n. 37. & 38. atqve Autor Dissertationis [ qvæ B. Dn. Petri Mullenri curâ denuò prodiit & hypomnemati suo de annulo pronubo annexa est ] illustris Dn. Z. P. à L. §. 21. de modo acusu computationis graduum. Horum uterque allegat consentientem insuper Georgium Schulz in tract. d. arb. Consangv. & affin. c. 2. n. 11. in fine. Prior autem , nempe Carpzovius , ita disserit : *Ceterum, quod dicitur, semper personam generatam gradum adjicere, dict.* §. 7. & l. 10. §. 9. ff. de grad. & affin. hoc nequitur de pluribus unius parentis genitis accipi debet, ita , ut unusquisque gradum adjectat novum; sed omnes ac singuli in primo à patre gradu existant, nec filiorum unus distat remotior à patre quam alter , nec nepos unus , quam alter , ab avo. Georg. Schulz in d. tr. cap. 2. n. 11. in fin. Posterior, nempe Illustris Dn. Z. P. à L. ita inquit: *Qvod tamen ita intelligendum non est, ut, si alius plures filii sive nascanur, quamque personam gradum adjicere putemus;* sed totam illam primam generationem Patri in primo gradu esse , cum filiorum unus non distat remotius à Patre , quam alter , nec nepos unus , quam alter ab avo. Georg. Schulz in d. tr. cap. 2. n. 11. in fin.

§. 10.

§. 10. Unde patet, quod Dominus Carpzov. & Autor dissertationis, de modo ac usu computationis graduum, in re ipsa convenient nobiscum circa hanc Thesin: *Jus Civile in linea collateralie computat gradus etiam eo modo, quo Jus Canonicum.* Dum enim uterque docet: Regulam hanc: *Semper generata persona gradum adiicit, neutrum de pluribus unius parentis gnatis aut nepotibus (qui certè sunt fratres & sorores, adeoque collaterales) accipiendam esse, cum hi respectu patris & avi æqualiter distent & unum, puta filii unum & primum, nepotes unum & secundum gradum possideant; certe iidem per hoc docent, quod *Jus Civile*, respiciens ad distantiam a stipite, non latera aut personas collaterales ut *collaterales* numeret, sed computet eas ut descendentes.*

Quod ipsum cum parili modo peragat *Jus Canonicum* (hoc enim nunquam latera, adeoque plures collaterales non ut *collaterales*, sed ut descendentes ab eodem stipite numerat; confer superioris dicta §. 1. Th. II. scit. I. Cap. I.) re ipsa Doctores illi nobis ad stipulantur, quod *Jus Civile* etiam eo modo collaterales computet, quo *Jus Canonicum*. Et hinc iidem ibi, ubi proposuerunt differentiam computationis civilis a canonica, intendenterunt digitum saltim in computationem civilis *naturæ*, sic dictam, seu numerationem generationum.

§. 11. Ceterum observavimus: *Jus Civile* solere generaciones eo casu numerare, quando quaestio est de duabus saltim personis, veluti in materia de nuptiis, distantias autem à stipite tum, quando quaestio est de pluribus v. g. in materia tutelæ legitimæ, & successionis.

### Th. II.

Secundo obstat Thesibus Sectionis I. Capit. I. seqvens dubium: *Jus Canonicum in linea collaterali numerat primum gradum can. ad sedem 2. vers. fratres, caus. 35. quest. 5. Jus autem Civile nunquam primum gradum numerat; nam I. in princ. I. si. de Gradib. cognat. diceret, dicitur, Et superior quidem & inferior cognatio à primo gradu incipit, atSEA, quae ex transverso numerantur, à secundo. (II. ) int. I. S. 1. ff. de gradib. & affin. expresse extans hec: Sed superior quidem & inferior cognat.*

,, sive à primo gradu incipit ex transverso , sive à latere , nullus est primus gradus , & ideo incipit à secundo etc.

Ergo verum non est , quod Jus Civile in linea collateralis etiam eo modo computet gradus , quo Jus Canonicum .

¶. Hæc tamen obstantia loca facile conciliari possunt cum adductis supra locis thesin nostram probantibus , si & heic adhibeamus unam saltim distinctionem ex propositis §. 6to Theseeos præced . & dicamus : Ex transverso , sive à latere , nullus est primus gradus de jure Civili , si collaterales computentur collateralis , seu , si in arbore consanguinitatis computentur latera ; est tamen ex transverso sive a latere , primus gradus de Jure Civili si collaterales computentur ut immediatè descendentes ab eodem stipite , quemadmodum in l. 10. S. 11. ff. de gradib . & affin . plures filii & filia ( qui certè sunt fratres & sorores , adeoque collateralis , ut sèpius hoc recoximus ) in primo gradu agnitionis deorum versum esse dicuntur . Junge ea , quæ diximus §. 1. Th. II. Seçt. II. cap. I.

### Th. III.

Tertia qvam nobis præ sagivimus , obiectio obest §. 1. Th. II. Seçt. II. cap. I. ubi contenditur ; plures fratres , qui unum gradum obtinent , esse de Jure Civili in primo gradu linea collateralis ; illaque obiectio est hæc : Quando plures fratres unum gradum obtinueri , tunc pater aut mater eorum est in primo & ipsi in secundo gradu ; pater enim , pariter mater , est prior filiis .

¶. 1. Hanc obiectiōē enodamus distingvendo inter prioritatem patris & matris , qvā ipsi priores sunt liberis ratione existentia , & inter prioritatem patris aut matris , qvā ipsi priores dicuntur liberis ratione gradus in computatione graduum . Et concedimus qvidem , quod pater aut mater sint priores liberis ratione existentia , sed fortiter negamus valorem consequentia à prioritate existentia , qvā parentes priores sunt liberis , ad posterioritatem distantia graduum in computatione fratum , qui unum gradum obtinent . Pater enim & Mater , qvatenuis in computatione fratum , qui unum gradum obtinent , sub considerationem cadunt , non considerantur *absolue* ut homines , priores

priores ratione existentia, sed relativè, scilicet ut pater & mater, qvi, qvatenus tales, non sunt priores liberis, cum pater & mater eantibus relatorum more, simul sint cum liberis; & ita neqve parentes liberis priores, neqve hi parentibus posteriores in computatione graduum. Utrique enim ab invicem uno saltim & primo gradu distant. Fratrum enim filii à fratribus unum gradum obtinentibus, horumqve parentibus, posteriore & secundo distant gradu.

§. 2. Imò, qvod pater & mater, qvatenus in computatione graduum velut correlata filiorum considerantur, eo casu non obtineant primum gradum, nec filii secundum, qvando plures fratres unum gradum obtinere contingit, seqventi insuper pacto demonstrare satagimus: Si pater aut mater fratrum, qvi unum gradum obtinent, est in primo gradu; fane tunc hi etiam ab illis distant primo gradu. Qvoto enim gradu stipes distat a personis generatis, toto etiam gradu hæ distant à stipite. Si ergo fratres plures unum gradum obtinentes primo gradu à stipite distant, non distant secundo.

§. 3. Accuratiorem hujus dubii solutionem mandamus Di-  
Iemmati seqventi:

*Si plures fratres, unum gradum obtinentes, in secundo gradu sunt,  
Aut illi distant secundo gradu à stipite,  
Aut distant secundo gradu à se invicem;*

*Sed non à stipite; stipes enim ab ipsis primo gradu distat, ergo &  
hui primo gradu ab eo distant.*

*Negque à se invicem, qvia, si ab invicem plures fratres unum gradum  
obtinentes distant secundo gradu, certe aliquis aut aliqui eo-  
rum primum, & aliqui eorum secundum, & sic non unum eu-  
demqve obtinerent.*

*Ego plures fratres unum gradum obtinentes, plane non distant secundo  
gradu.*

§. 4. Ideoqve plures fratres, unum & primum gradum obti-  
nentes non aliter computantur de Jure Civili, qvam de Jure Ca-  
nonico.

Th. IV.

Quarta, qvæ nobis obcese visa est, antithesis, depromta est ex Canone ad sedem 2. vers. fratres, caus. 35. qvæst. 5. Ubi Alexander II. Pontifex ait: *Duos gradus legales unum constitutere Canonicum in linea scilicet equali. Qvod si itaque ipsummet Ius Canonicum refragatur aserto: Ius Civile etiam modo computat gradus in linea collaterali, quo Ius Canonicum; fidem non merens estimabitur principialis nostra Thesis.*

S. 1. Dubium hoc iterum, accommodata saltim unicâ ex supercenis distin<sup>t</sup>ionibus, ave truncabimus sequenti modo: Verus est ille textus Juris Canonici, siita explicetur: *Duo gradus legales, i.e. duo transitus de persona generata in generatam constituant unum canonicum, i.e. unam dist. niam à stipite in linea collaterali equali. Verus autem non est ille textus, si ita eum interpretemur: Duo gradus legales, quatenus signant duas distantias à stipite, constituant unum Canonicum, i.e. unam distantiam à stipite in linea equali. Qvod enim hoc sensu verus non sit oppositus ille textus, I.) expressi Juris civilis textus illi, quos supra exhibuimus, satis evincunt. ut pote in quibus plures personæ, unam distantiam à stipite habentes, unum gradum, & sic unum canonicum, i.e. unam distantiam à stipite obtinere dicte sunt, ut sic duo gradus legales, quatenus signant duas distantias à stipite, non unum sed duos canonicos, seu duas distantias à stipite constituere posint. II.) si duogradus legales, quatenus signant duas distantias à stipite, constituerent unum Canonicum, seu unam distantiam à stipite, certè duas distantiae essent una distantia.*

S. 2. Itaque sub sensu priore capienda sunt illa Pontificis verba, qvæ in hâc ultimâ Thesi expressimus; ast tunc ea nobis non officiunt. Nam nos non negamus: *Duos transitus de persona in personam, i.e. duos gradus legates nra' èx oꝝ sic dictos, constituere posse unam distantiam, seu unum gradum canonicum in linea collaterali æquali.*

TANTUM!



ULB 4582

**ULB Halle**

006 542 611

3





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
Inches

## SCHEDIASMA JURIDICUM,

In quo de hoc Themate differitur:

Jus Civile computat gradus in Lineâ collateralē  
etiam eo modo qvō Jus Canonicum;

*Quodque*

# PERILLUSTRI DOMINO DOMINO .FRIDERICO BACHOVIO,

IAB ECHT, IN ROMSCHVTZ ET DOBL.  
, SACRAE CÆSAREÆ MAIESTATIS CONSILIA  
IMPERIALI AULICO, IN AULA SAXO-GO-  
THANA SANCTIORUM CONSILIORVM  
DIRECTORI DOMINO DEMISSE  
COLENDo

*in scriptum est*

.PHILIPPO Greiber / Philos, &  
.D. Facult. Philos. Jenens. Adjuncto, & P. L. C.

JENÆ, apud Job. Jacobum Ehr.

M. DCCII.

V3.

4382